

Vd
628





PANEGYRICVS
SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE
PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

FRIDERICO
AVGVSTO,

REGI POLONIAE, MAGNO
DVCI LITHVANIAE, DVCI IN RVSSIA,
PRVSSIA, MASOVIA, SAMOGITIA, KYOVIA, VOLHI-
NIA, PODOLIA, PODLACHIA, LIVONIA, SMO-
LENSKIA, SEVERIA ET SCHERNI-
COVIA, ETC.

DVCI SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE
ET MONTIVM, ETIAM ANGRIAE ET WESTPHALIAE,
S. ROM. IMPERII ARCHI-MARSCHALLO ET ELECTO-
RI, LANDGRAVIO THVRINGIAE, MARCHIONI MISNIAE ET
LVSATIAE VTRIVSQVE, BVRGGRAVIO MAGDEBVRGENSI,
PRINCIPI HENNEBERGIAE, COMITI DE MARCA, RA-
VENSBERG ET BARBY, DYNASTAE IN RAVEN-
STEIN, AC RELIQA,

DOMINO SVO LONGE CLEMEN-
TISSIMO,

IN ACADEMIA FRIDERICIANA
A. D. XXIX OCTOBRIS c15 15cXCVII
DEMISSISSIMA SVBIECTIONE DICTVS

A

IO. SIEGFRIDO von Reichlingen/
EQVITE MISNICO.



HALAE MAGDEBVRGICAE,

TYPIS CHRISTIANI HENCKELII, AC. TYP.



PERMISSIMO POTENTISSIMO
PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINO

FRIDERICUS
AVGVSTVS

REGIS POLONIAE MAGNO
DUCI LITHVANIAE, DUCI IN RUSSIA,
PRUSSIA, MASOVIA, SAMOGITIA, LYVONIA, VOIHNIA,
PODOLIA, PODLACHIA, LIVONIA, SMOLENSKIA, SEVERIA ET SCHEERNIA
COVA, ETC.

DUCI SAXONIAE, THURACIAE, GILVIAE
ET MONTIVM, ETIAM ANGLIAE, ET WESTPHALIAE
S. ROM. IMPERII ARCHI-MARSCHALLO ET ELECTORI
IN LANDGRAVIO THURINGIAE, MARCHIONI MIPPIAE ET
SASSIAE VIRIVSOE, FVRCO MAGNO MADDEBVRGENSI
PRINCIPIS NEMO BERGIAE, COMITIS DE MARCA, RA-
VENBERG ET BARBY, DYNASTAE IN RAVEN-
STEIN, AC BRUNOVIA

DOMINO SVO LONGE CLEMEN-
TISSIMO,

IN ACADEMIA BRUNSVIGIANA
A. D. XXIX OCTOBRE MDCCXVII
DEMISISSIMA SYLVESTRIO TICTVS

IO SEIGFRIDO DONO BRUNSVIGIA
EX PARTE NEMICO

1717

CHRISTIANUS HENRICUS DE
HALLAE MADDEBVRGENSIS





PANEGYRICVS
MAGNO PRINCIPI
FRIDERICO AVGVSTO
REGI POLONIAE ETC.
DVCIQVE AC ELECTORI
SAXONIAE ETC.
DEVOTISSIME DICTVS.



Uod feliciter eueniat Germaniæ,
feliciter itidem Poloniæ atque vni-
versæ Europæ, hoc anno, quem a-
gimus, propitiis fatis miranda
multa, ac vel spe nostra maiora,
certe præter expectationem plurimorum con-
tigerunt. Funesti belli, quod adhuc gestum in
Europa fuit, vtrasque partes pertæsum erat, &
omnes finem malorum, hoc est pacem & tran-
quillitatem, optabant, quam vero tam propin-
quam imminere, qui prudentiores ceteris habe-
ri cupiebant, haud ita pridem, vt crederent, ad-
duci non facile potuerunt. Quorum opinioni

non

non defuerunt rationes, exemplorum documentis sæpe numero comprobata, quod tardiora sane, quam mala, plerumque sunt remedia, & in bellum facilius prorumpi potest, quam ex eo coitur ad concordiam. Nihilominus, quæ cæli est benignitas, multorum citius opinione pax restituitur, & belligerantes Principes atque Respublicæ inter se conciliantur. Ingens certe felicitas, & tum omnibus lætabilis, tum iis maxime, quorum res belli impetu percussæ atque prostratæ omnes sunt. Neque vero hæc sola est lætitia, quæ hunc annum posteritati memorabilem faciet; sed illustris etiam victoria, qua insana barbarorum multitudo profligata ad Tibiscum est, auxit felicitatem temporis, quo satis erat Christianis copiis, munimenta limitis tueri, & ne longius irrumpat hostis, excursiones eius cohibere; sed immanem exercitum acie vincere, ad interneccionem delere, ac ipsum Turcorum tyrannum castris exutum & omni apparatu & summis ducibus orbatum in fugam præcipitare, hoc vero ut nemo facile sperauerat, ita dum feliciter euenit, in diuinis utique muneribus & admirandis victoriarum exemplis numerandum est. Hæc magna sunt, si per se considerantur, & digna omnino, ob quæ supplicationes non vnus sed plurium dierum, per omnia Christianorum templa decernantur. Sed tamen sunt alia maiora, sunt admirabiliora. Poloniae regnum, quod antiquam Sarmatiam tenet, idque potens, amplum, & orbis Christiani

ni

ni limitaneum, nostis, Auditores, extincto
IOANNE III, Rege potentissimo, per annum
sine Rege fuisse, non autem sine iis, qui magno
studio, aut largitionibus etiam, Regnum am-
biebant. Nostis quoque, quæ hominum intra
illud tempus præiudicia & dissidentes opiniones
fuerint, quibus, prout quemque fauor atque stu-
dium trahebat, vel huic vel isti, quasi diuinan-
tes, illum apicem honoris & Regiam dignita-
tem prænuntiabant, quos tamen omnes frustra
iudicasse, euentus, quo lætamur, manifestissi-
mo, vt omnes fatentur, documento est. Felici-
tatis argumentum Romani scriptores laudant,
quum ita celeriter res bello fuit confecta, vt
idem nuntius & geri bellum, & debellatos ho-
stes esse, adferret: seu prius finitum bellum esse,
quam geri, Romæ nuntiaretur. Par vtique,
Auditores, est ingens illa felicitas, de qua sum
in præsentia apud vos gratulaturus. Diu inter
Candidatos Regni Polonici certabatur, vt ne no-
men quidem Serenissimi Saxonie Electoris in-
ter illos audiretur: & quum auditum fuit, simul
etiam adlatum est, Serenissimum Potentissi-
mumque Principem FRIDERICVM AV-
GVSTVM, S. Rom. Imperii Archi-Marschal-
lum & Electorem, Ducem Saxonie, Juliaci, Cli-
viæ, Montium, Angriæ & Westphaliæ, Burg-
grauium Magdeburgensem, Landgrauium Thu-
ringiæ, Marchionem Misniæ & Lusatia vtrius-
que, Principem Hennebergiæ, Comitem de Mar-
ca, Rauensberg, & Barby, Dynastam in Raven-
stein,

stein, &c. Dominum meum clementissimum, hunc, inquam, simul ac auditum fuit inter Candidatos referri, etiam nuntiatum est, plurimorum suffragiis electum auspicato Regem Polonorum esse. Quis itaque non admiretur cælestem providentiam, quæ tam mirabili consilio Polonorum Regis electionem eo tandem perduxit, quo nemo forsitan paullo ante perduciposse cogitauerat, ex quo diuinam illam esse tanto magis adprobatur, quanto illa ab hominum opinione, & ipsorum eligentium, alienior antea visa fuerat. Quum igitur propitio cælo tam insperatum, tum fortunæ tum nouæ gloriæ fastigium ad Electoralem Domum Saxoniam accesserit, quo non solum Poloniæ Regnum ex fluctibus, quibus agitabatur, seruatum, verum etiam communis patria Germania nostra, ex non incertis periculis, quæ ab competitore impendebant, liberata fuit feliciter; quos plausus putatis & votiua verba nos cælo debere? quas gratulationes Serenissimo Electori, nouo Poloniæ Regi? quantum ex eo incrementum, quam felicitatem ipsi Polonorum Reipublicæ diuinemus? quam tranquillitatem regionibus circumiectis, quæ tam æquo, tam forti, tam potente Rege ac Principe vicino lætantur? Præcipue habet Saxonia, dulcissima patria mea, quod hoc diuino & admirabili euentu gloriatur, quo nihil de iuribus ipsius ac libertate decedit; ad gloriam vero & dignitatem accedit plurimum, & maiora spes est accessura esse, & Deo bene iuuante fore, vt felicitas Regis, quam ominamur, etiam patriis &

& hereditariis prouinciis salubris sit & frugifera, & ipsas quoque feliciores efficiat, & incrementum addat felicitati. Inter tot plausus ergo & gratulationes quod mihi non temperare possim, quo minus etiam augendæ lætitiæ causa succlamem; non puto rationes mihi deesse, quæ etiam si nullæ essent, (sunt autem, vt percepistis, satis ponderosæ atque graues) vel sola demississima subiectio, qua potentissimo Regi ac Electori pareo, eiusque veneror Maiestatem, me satis, puto, excusabit, vt inde nihil contra officium, sed quod idem postulat officium, & suscepisse hoc instituto, & quantum possum, iam peragere mihi videar. Vnum est tantummodo, quod in lætissimo argumento me timidiorum ad adgrediendum possit efficere, quia, conscius tenuitatis meæ, admodum vereor, vt tanto Rege dignam, & Vobis, sapientissimi viri, non improbandam orationem adferam; verum vt maximi Regis me summa clementia audaciorum facit; ita in vestra quoque beneuolentia confido fore, vt benigne interpretemini, si non quod debeo, sed quod possum, pro ingenii mediocritate, in tam illustri confessu dixerò.

Novum lætitiæ ac gratulationis argumentum in memoriam mihi reuocat omnem illam gloriam, quam ab Europæ nationibus Germani nostri per longa adhuc sæcula, vt sibi debitam & quasi propriam, vindicauerunt. Nulla fere gens cultior in Europa est, præsertim qua Christianis illa patet, quæ non Principes suos

B

ac

ac Dominatores, si recte iudicamus, Germaniæ
nostræ debeat. Daniæ Sueciæque Reges, vt
ex septentrione incipiam, quis ignorat Germa-
nici sanguinis atque originis esse, illos Olden-
burgicos, hos Palatinos ad Rhenum Comites?
Hispania nunc fere per alterum sæculum ex
regnatrice Domo Austriaca suos Reges acce-
pit, cuius etiam ab eodem tempore Vngariæ
Bohemiæque regna fuerunt amplissima. Ipsi,
qui Germanis adhuc infestissimi fuerunt, dum
se FRANCOS appellant, illo nomine maiorum
suorum ex nostris originem, quam non possunt
negare, profitentur. Britanni de Nassouia vir-
tute sibi gratulantur, inuictum Regem & Orbi
admirabilem ex illustrissima illa Gente sortiti,
quæ decus Germaniæ per temporum longin-
quam memoriam exstitit. Sola Polonia cum
Lusitania adhuc sunt alieniores visæ, e quibus ta-
men altera, Portugalliam putate, quo in nostra-
tes adfectu sit, & quanti nostram gentem faci-
at, abunde Rex hodiernus declarauit, ex Ger-
maniæ Principibus tori & vitæ Sociam, quod
notissimum est, amplexus. Iam vero Polono-
rum gens fortis, & studiosissima libertatis,
complementum & cumulum addidit Germa-
norum gloriæ, dum liberrimis suffragiis ex Ger-
mania sibi Regem elegit, sola virtute ac tropæis
illius, quem elegit, ad tam salubre consilium
adducta. Deus Reges dat atque confirmat:
ab eo sunt conuersiones imperiorum, sunt eti-
am Rerumpublicarum stabilimenta, vt neuti-
quam dubitandum sit, quin Deo duce hanc
men-

mentem sententiamque ingressi sint Poloniæ
Proceres, vthunc potius, quam alium, sibi Re-
gem ac vindicem libertatis constituerent. Nec
spes in ea re, aut de tanto Principe opinio fefel-
lit. Rege opus erat forti ac magnanimo, rei-
que militaris non vulgariter perito, qui & per se
potens esset ad suam Regnique incolumita-
tem tuendam vindicandamque, & qui auctori-
tate sua dissidia partium conciliaret atque com-
poneret, & erepta Regno barbarorum iniuriis,
sua virtute recuperaret ac reduceret, & quod
caput rei est, libertati adfuetus ipse, libertatem
cum imperio miscere prudenter, mistamque
tueri & conseruare cum sciret recte, tum etiam
viribus atque potentia valeret. Quamquam
ex omnibus eligendus vnus erat, non tamen
habebant Poloni, quem Tibi FRIDERICE
AVGVSTE, Princeps maxime fortissimeque,
anteferrent. Tua incredibilis virtus, qua ho-
stes profligas, qua pacem restituis, qua liberta-
tem Tuorum conseruas, in Campo, in Comitibus
fuit, plurimorumque animos & suffragia Tibi
conciliauit, & id meruit, vt auspicato eligereris,
electus rite, vt decus Regni fert & Tua digni-
tas, diademate imposito solemniter confirma-
reris. O lætum diem, quo parta Sarmatiæ Re-
gno tanta est felicitas! O felicem electionem,
quæ tam breui tempore consummata, vicit ipsa
celeritate sua, vicit, inquam, & ELECTI vir-
tute ac magnitudine vota & spem eligen-
tium superauit. Interest non Poloniæ tantum-
modo, sed Germaniæ etiam nostræ, & Vnga-
riæ

riæ, & Molcouiæ, & vniuersæ Europæ, qui Rex
Polonorum constituatur, præsertim hisce tem-
poribus, quibus de pace publica feliciter actum
fuit, vt non modo reduceretur illa post diuturnos
bellorum motus; verum etiam reducta iam con-
firmetur stabiliaturque, ne, dum hinc otium re-
stitutum putemus, aliunde maior tempestas e-
rumpat, quæ libertati auitæ modum ponat, &
nouas turbas, nova bella inter pacatas gentes
accendat. Vt ergo reprimerentur, quæ impen-
dere videbantur; SAXONE opus erat, qui
non modo vt murus saxeus, sed prorsus vt ahe-
neus, tot hostibus opponeretur, vt tranquillato
Poloniæ Regno, adiacentibus etiam Imperiis
& Regnis securitas & pacatior status confer-
varetur. Tantam salutem referre, tam nobi-
lem pacem securitatemque custodire non cer-
te multorum est, sed pauci admodum sunt, qui
id præstare possint, & si recte iudicemus, quod
æquo Deo iudicandum & ex diuinis auspiciis
æstimandum est, hic vnus fuit qui tantis rebus
sufficeret, quantas Europa ex nouo Rege Po-
lonæ Reipublicæ expectat. De cuius virtute
meritisque antequam agamus venerabilius, id
repetendum mihi est vtique, quod singulare o-
men & auspiciam attulisse ad Regis videtur e-
lectionem. Poloni, quum se ex Scythia sua in
hanc Sarmatiæ regionem, quam hodieque te-
nent, a multis abhinc sæculis effudissent, Prin-
cipes habuerunt, vel Duces egregios, a quibus
regerentur, qui regia apud suos auctoritate e-
rant, quamuis carebant nomine. Hi non tam
fibi

sibi primum, (cum aliis enim magnis virtutibus & modestiam colebant) non tam, inquam, sibi, quam omnibus, ac inter primos Romanis Imperatoribus & Regibus Germaniæ sunt digni visi, qui regio iure, diademate ac titulo vterentur, quod utique æquum est sapientum iudicio, ut magnam virtutem magna etiam præmia & gloriæ ornamenta consequantur. Tum Poloniæ rebus præerat **BOLESLAVS CHROBRI**, Mieceslai Principis, primi in hac Gente Christiani, filius; cuius virtutem admiratus Romanorum Imperator **OTTO III**, & ipso Saxo genere, Regium nomen & dignitatem in Polonicam Gentem intulit, & Boleslaum illum corona, Regio insigni, a se donatum, primus **REGEM**, venerabili apud omnes gentes nomine, appellavit. Quod igitur primum a Saxonibus Poloni habuerunt fastigium, id grati memoresque in **SAXONEM** retulerunt, ne post tot temporum decursionem non retulisse gratiam videantur. Saxone ergo Rege non forte, sed libera electione cooptato suum erga nostram Gentem animum, & in Germanis erga Saxones præcipue, illustri exemplo & documento ostenderunt. Fato fortem regi, hoc est diuina prouidentia & moderatione, maiores nostri crediderunt: fato magis diuino electionem regi, & diuinitus eligi, qui rite ac secundum leges eligitur, ita pronum ac facile ad credendum est, ut qui dubitet de re manifestissima, hoc est, diuina imperiorum cura, impietatis notam non defugiat. Quod vero diuinum
C est

est, etiam auspiciatum fortunatumque sit neces-
se est: vt ita optime sperare de euentu electio-
nis liceat, & Poloniæ Regno eiusque Sociis ac
Fœderatis singularem ominari felicitatem.
Quod vt non temere sperare videamur, ratio-
nes non incertas, quibus inducti sumus in hanc
spem atque opinionem, perbreuiter propone-
mus, sed ita proponemus, vt non verbis ad le-
gem compositis, neque admodum accurato
tractationis delectu, sed vt aliud ex alio in men-
tem venerit cogitanti, ita vnum quodque ex
eis, quæ dicenda in hac solemnitate sunt, perse-
quemur. Vultum Tuum, Rex Potentissime, si
intuemur, animum Tuum contuemur, lucu-
lentissime lineamentis oris atque vultus Tui ex-
pressum: adeo omnia in Te sunt Heroe digna,
& generosa atque illustria, vt ex iis, tanquam
non dubiis significationibus, magnitudo animi,
& quæ hanc consequitur, felicitas rerum ge-
rendarum cognosci possit. Ab antiqua Saxo-
num Gente suam originem, suum sanguinem
atque spiritum trahere, & tot magnos Electo-
res, tot præpotentes Reges in progenitoribus
suis numerare, næ hoc magnum aliquid & pror-
sus eximium humano generi pollicetur, quod
etiam præstitum ita fuisse, innumeris exemplis,
eisque omnibus in illustri monumento positis,
nisi notum esset, perfacile adprobari posset.
Initia adolescentiæ inter bellicas præparatio-
nes exacta sunt, quia igneus, Rex, animus Tuus
ad res maximas adgrediendas, ad terribiles vir-
tute superandas natus, gaudebat equo, armis,
ma-

machinis, atque fulminantibus tormentis, ut iam tum prima ætas ostenderet, quem nunc in Te egregium Ducem, quem fortem & inuictum Regem, etiam hostium confessione, admiramur. Illud quoque magni animi non leve est argumentum, non domi contineri posse, nec locorum circumscribi angustia, quippe feruitute se premi existimat, si vni loco adfixus sit perpetuo. Idem TIBI ingenium erat, & nihil naturæ Tuæ consentaneum magis, quam varias regiones percurrere, ut quæ alio sub cælo gesta fuerant, Tuis oculis designes, & animo obserues, indeque TIBI, quod imiteris, capias: etiam finistros euentus, quos vites. Non excelsa Alpium iuga, non Pyrenæi montes, vel ipsi Herculi terribiles, absterrebant, quo minus Italiam, Galliam omnem, atque inde Hispaniam, Portugalliamque peragrare. Ubique gentium benigne es acceptus, ut decet excipi Principem, tot imagines Maiorum præ se ferentem. Ubique etiam vestigia impresisti, gloriæ Tuæ & immortalis laudis monimenta posita reliquisti. Sed hæc in iuuentute prima. Mox quæ iuxta Lares Tuos didiceras, quæ apud externos imitanda obseruaueras, ad vsum & bellicas expeditiones transtulisti, quibus ut Durium Tagumque cum Albi coniunxisti, ita mox Rheno, Sabi, Mosæ addidisti Danubium atque Tibiscum. Nouit Rhenus Tua fortia facta: dilandant prælia Tua Belgarum fortissimi quique, Bethasii, Neruii, Toxandri: sed luculentissima testis est Dacia, in cuius finibus rem tam

fortiter & proximo, & superiori anno gessisti, ut numerosissimas barbarorum copias ad inter- necionem deleturus fuisses, si, qui animus Tibi Tuisque pugnandi erat, non desideratus in iis fuisset, qui adiuncti imperio Tuo, ut tamen di- cto audientes essent, spectatores pugnae quam victores esse maluerunt. Tu tamen illorum cunctatione nequaquam fractus, Tua solus si- gna in decemplicem numerum Turcorum in- ferre non dubitasti, & tantam in iis edidisti stra- gem, ut quamuis multitudine superabant, idem tamen damni acciperent, quod vix alibi, quum fusi fugatique essent, aut in fugam praecipites acti, acceperunt. Parem vincere, aut aequales numero superare, laudem quidem habet non exiguam, sed minorem, quam quum parua ma- nu ingens vis hostium sustinetur, & ne glo- riarum possint, damnorum prohibentur grauita- te. Magnus animus ex magnitudine pericu- lorum aestimatur, & qui iis resistit fortiter, aut si grauiora superatu sunt, ex illis se explicat pru- denter; is demum vera laude condecorandus est. Non enim par gubernatoris virtus, quum placido & quum turbato mari vehitur. Cui om- nia succedunt facile, ille etiam ex magna vi- ctoria inglorius portum subit, quod non tam vir- tuti victoris, quam hostium timiditati tribui- tur, si quid bene & ex voto gestum fuit. At quum stridunt funes, quum arbor incuruatur, & gubernacula gemunt, tum ut elucet eius vir- tus, qui nauem ex fluctibus seruauit; ita maior semper est gloria, in duris & asperis exerceri,
vt

vt superemus tamen; quam secundarum rerum
perpetuo cursu, sine offensa aut periculo, defer-
ri. Non semel, sed iterum in Vngariam cum
exercitu Tuo profectus, Christiano Orbi, contra
Turcos & Tartaros defendendo, militiam Tu-
am & opes Tuas consecrasti. Si vera vox est an-
tiquissimi Poetarum, vti omnino est, *optimum es-
se augurium pro patria pugnare*; nullum est iu-
stius bellum, nullum quod maiorem gloriam
mereatur, quam eos hostes propellere, qui
Christiani nominis hostes sunt infensissimi, &
nunquam non in perniciem illorum vel aperte
vel clanculum coniurant. Iam in eo erat, vt
tertium contra eosdem proficisceris, quum
ecce fata in patentiorem campum, in Poloniae
regnum, virtutem Tuam deuocarunt. Ardua
res potentium se Candidatorum certamini in-
ferre: magis arduum, dissidiis eligentium & stu-
diis partium acerrimis interuenire, atque alie-
nis periculis otium suum & tranquillitatem ob-
iectare. Vicit nihilominus in Heroenostro, Audi-
tores, amor patriae, quum secreta aestimatione
pensitasset, si recusaturus esset, & alius, qui ma-
gno ambitu adfectabat, Rex Poloniae electus
fuiisset, nunquam tutam fore Europae pacem,
neque, quae adiacent regna & imperia, in ea
tranquillitate, quam recuperare nunc sibi vi-
dentur, confirmari facile aut diu conseruari pos-
se. Quod enim vix sopitum iam bellum est,
quam leui causa resuscitari posset, si ille Polo-
niae Regno potiretur, qui quo animo ipse &
sui in finitimos fuerint, Vobis, Auditores, ne-
qua-

D

qua-

quaquam potest obscurum esse. Sed reprimo me, & abominor quæ metuebantur: lætor potius, quod aliter omnia diuino consilio euenerunt. Iacta alea, & quod auguria Regi addicebant, se fati præbuit, sequutusque quo illa vocabant: quumque in Poloniæ fines venisset, magnifice ab Reipublicæ Legatis acceptus, spem indies maiorem felicissimi euentus cepit. Electus erat in Comitibus Regni plurimorum suffragiis, frustra renitentibus, qui alium propter causam non ignotam præoptabant: omnia ad coronandum Regem mirifice apparabantur. Iam dies ille faustus illuxerat, qui pridie Iduum est Septembris, quum splendidissime comitatus ingrediebaris, Rex, urbem Regni primariam, & Coronationi ceterisque auspiciis maiorum more destinatam. Tum demum vidissetis, quæ spectatores in admirationem rapiant. Quam magnificus enim, quam illustris, quam vere Regius in Urbem fuit ingressus? quam innumeralis Summatum, Procerum, nobilium viro- rum concursus? quantus ornatus equorum car- pentorumque? quam fulgentes auro, discolori veste milites, qui præibant, qui sequebantur, non tam securitati Regis & præsidio, quam pompæ & spectaculo adhibiti? Adeo omnia auro, argento, purpura fulgebant, vt qui oculis non subiecere, animo concipere non possint. Quid de portis dicam triumphalibus, per quas Regi transeundum erat, mirabili artificio ex- structis, elegantissimo nitore exornatis? quid de
de

de gratulationibus multis & salutationibus, cum extra urbem, tum in suburbio ad S. Floriani templum, tum proxime ante portam urbis a Proceribus, ab Academia, & a Magistratu civitatis speciosissimo sermone ab eloquentissimo quoque factis? Regii æneatores viginti quatuor, non æneis, sed argenteis tubis instructi omnes, nec non tympana & tubæ turmarum ac cohortium, non minus aures spectantium, quam pompæ magnificentia oculos, implebant, quibus tonitru fulminantium tormentorum accessit, ut ingenti fragore magnitudo lætitiæ ostentaretur, quæ tamen ipsa cum ingressu Regis crevit, ac prope in singulos gradus adaucta fuit, præsertim quum effusa multitudo bonis verbis & faustis acclamationibus auget. Quid multa? lætissimus hic dies fuit, & albo calculo ad posteritatis memoriam notandus, in quo, qui omnia notare solent, etiam illud observant memorabile, quod idem iam antea Poloniæ regno gloriosus, Germaniæ nostræ salutaris exstiterit, quia eodem die, ante hos quatuordecim annos, Polonorum Regis IOANNIS, & qui Parens erat noui electi Regis, Saxoniae Electoris IOANNIS GEORGII III, auxilio augusta vrbs & Imperatoris sedes Vienna, post longam oppugnationem, ab obsidione Turcorum felicissime fuit liberata. Vnde omen capiunt, qui ex temporum etiam indiciis iudicare solent, felici auspicio Regem urbem Regiam ad coronam accipiendam ingressum esse, quia fausto & felici die ingressus

fuerit. Qui insequutus dies est, pro more Gen-
tis, gloriosi Regis IOANNIS III exsequiis,
& his quoque magnifice apparatus, infumtus
est, in quarum causa quum loca plura Rex no-
vus adiret, vbique etiam nouæ salutationes
sunt auditæ. Tertia lux auspiciatissima fuit,
quæ scepra dedit, quæ coronam imposuit,
quæ Regno Regem potentissimum inaugura-
vit. Obstupesco cogitans magnificos ritus &
cærimonias, & splendidissimas Regis vestes, in
quibus gemmarum nitor vt oculos præstringe-
bat, ita cetera pompa & apparatus aciem men-
tis obtundit, vt neque fulgentissimum Regem,
neque illustrissimos Episcopos atque Proceres,
qui frequentissimi circumstabant, neque aliam
eius solemnitatis magnificentiam comprehen-
dere animo, nedum verbis possim vel summa-
tim aut breuiter enarrare. Malo ergo de tantis
rebus tacere, quam pauca & indigna dicere, aut
non integra proferre, quia venerabilior mihi
Maiestas Regis est, quam vt, quæ neque intel-
ligere possim, incomto sermone, & rudibus ver-
bis meis irreligiosius tractare audeam. Quid
enim quæritis? quantum capere mens huma-
na potest, omnia summa, eximia, magnifica,
quibus honos conferri Regi potest, aut submis-
sio parentium reuerenter declarari, illo die pera-
cta sunt solemnissime, splendidissime, & in so-
lio Regio, quod feliciter vertat, Rex FRIDE-
RICVS AVGVSTVS, in Regno suo AV-
GVSTVS II, rite & auspiciato collocatus,
&

& Regno legitime inauguratus est. Quum igitur magnitudinem rerum, isto die lætissime actarum, nec, animo nec voce possim adsequi; id tamen æmulari, quantum potero, conabor, quod inter eiusdem diei officia non postremum, certe omnium fuit, vt nemo dubitat, fructuosissimum saluberrimumque. Plausu, votis, precibus omnia personuisse, facile iudicatis Auditores. Illas voces, quum non possim reliqua, tantummodo imitabor, vt bonis verbis, vt faustis precationibus, vt publica gratulatione hoc, quod suscepi, finiatur subiectissimæ pietatis meæ officium. Salue ergo, Rex potentissime, salue serenissime Elector: Deus Te seruet, carum Caput: Deus solium Tuum confirmet, Tuum imperium secundet, & Polonorum Regnum atque Rempublicam diuinis, quæ ipse det, auspiciis, sed ductu & moderatione Tua, stabiliat. Sis felix in toga, pacato terrarum Orbe: sis quoque armis felix, vt victoriis atque triumphis Polonorum Rempublicam semper augustiorem facias, & Saxoniam Tuam illustriorem. Habes campum, in quo virtus se Tua exerceat: habes arma, quibus hostes longissime repellas, & a finibus Regni Tui, ac Orbis Christiani, reiicias atque profliges. Faustum omen augusto Nomini Tuo inesse omnes lætamur. FRIDERICVS es, idem es etiam AVGVSTVS. Pacem ergo, Friderice, reduces, & Rempublicam Poloniæ, Auguste Secunde, augeas. Sis Tuis semper Fridericus & pacificus: sis hostibus terror semper, vt Te reg-

D nan-

Pol. 628 71

nante Poloniam infestare, Saxoniam turbare nemo quisquam præsumat. Sis restitutor securitatis, sis quoque publicæ felicitatis seruator, eiusdemque propagator in posteros. Romanis olim Principibus in Senatu acclamabatur, vt feliciores Augusto, meliores Traiano forent. Non ab Romanis iam exempla repetamus, quæ in ipsa habemus Polonia. Sis, Rex, felicior Jagellone: sis Sigismundo I longæuior; sis & Augusto I melior, vt, cuius nomen Poloniæ auspiciatum refers, eius etiam bonitatem felicitatemque repræsentantes, vt posteris quoque exemplum sis ipse tam bonitatis erga omnes, quam reductæ conseruatæque per Te felicitatis. Deus votis nostris adnuat, quæ pro salute Tua nuncupamus: & qui in summum Te fastigium euexit, in illo etiam Te tueatur, vt sublimis Tua statio, qua pro re publica, pro rebus humanis excubas, diuinitus sit stabilita, sit firma, tuta, & inconcussa, quo gloria Tua perennitate consummetur, & felicitate consummatissima perennet.



42



ULB Halle 3
004 823 729



VD 97





h. 5, 48.

V 2
628

PANEGYRICVS
SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE
PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

FRIDERICO
TO,

REGI
DUCI LI
PRUSSIA,
NIA, PO
LIVONIA, SMO-
CHERNI-

DUCI SA
ET MONTI
S. ROM. IMP
RI, LANDGR
LVSATIAE
PRINCIPI F
VENS

DOMI
E CLEMEN-

IN
A.
DEM
RICIANA
o Ioc XCVII
ONE DICTVS

IO. SIE
Beichlingen/
CO.



HALAE MAGDEBURGICAE,
TYPIS CHRISTIANI HENCKELII, AC. TYP.

